

synodus sanctissimorum sacerdotum in unaquaque provincia, et emergentes causas excuti, et competentem accipere correctionem, hoc est, unam quidem in quarta septimana sancte Pentecostes, alteram vero octobris mense. Nos autem inveniunt quod ex hujusmodi negligentia multi diversis peccatis impliciti sunt, jubemus omnibus modis unam synodum fieri singulis annis in singulis provinciis mense vel Junio, vel septembri: et convenire quidem apud beatissimos patriarchas, illos qui ab ipsis ordinati sunt, et qui non habent jus alios episcopos ordinandi: at apud sanctissimos metropolitans cujusque provincie, eos qui ab eis sunt ordinati. Quo in loco motas lites et interpellationes vel pro fide, vel de canonicis questionibus vel administratione rerum ecclesiasticarum, vel de episcopis et presbyteris, vel diaconis aut aliis clericis, vel de abbatibus, vel monachis, vel de accusata vita, vel de aliarum rerum correctione, moveri quidem et agitari, et convenienter examinari, et eorum correctionem secundum sacros canones procedere, et secundum nostras leges.

CAP. V.

Non solum autem in anniversariis synodis ista quasi volumus, sed etiam quoties quidam sacerdotum vel clericorum, vel abbatum, vel monachorum accusabuntur, vel de fide, aut turpi vita, aut ob aliquid aliud contra sacros canones admissum. Et si quidem episcopus est is qui accusatus est, ejus metropolitanus examinet ea quae dicta sunt: si vero metropolitanus sit, ejus beatiss. archiepiscopus sub quo degit. Si vero presbyter vel diaconus vel alius clericus vel abbas, vel monachus, tunc sanctissimus episcopus cui subsunt, examinet delatas hujusmodi querelas: et cum veritas probata fuerit, unusquisque pro qualitate delicti canonicis penis subdati examinantis arbitrio. Hæc autem omnia obtinere volumus non solum in ordinandis posthac episcopis et clericis et abbatibus, sed etiam in his qui nunc sunt, et qui ex quibuscunque causis per canones, et nostras leges interdictis accusantur. Si enim hæc ita observata fuerint et laici maximum hinc et ad rectam fidem et ad vite honestatem profectum promerebuntur et percipient.

CAP. VI.

Ad hæc jubemus omnes episcopos et presbyteros non in secreto, sed cum ea voce quæ a fidelissimo populo exaudiatur, divinam oblationem et precationem quæ fit in sancto baptisate, facere, ut inde audientium animi in majorem devotionem et Dei laudationem et benedictionem offerantur. Sic enim et divinus apostolus docet, dicens in priore ad Corinthios epistola: *Cæterum (inqui) si solum benedictis spiritu, is qui idiotæ locum implet, quomodo tuæ gratiarum actioni subjiciet Deo sanctum illud Amen? si quidem quid dicas, non novit: tu autem pulchre gratias agis, sed alius non edificatur.* Et rursus in ea quæ est ad Romanos, sic dicit: *Corde quidem creditur ad justitiam, ore autem confessio sit ad salutem.* Idcirco igitur convenit, ut ea precatio quæ in sancta allatione dicitur, et alia orationes cum voce a sanctissimis episcopis et presbyteris proferantur Domino nostro Jesu Christo Deo nostro cum Patre et Spiritu sancto, scituris religiosissimis sacerdotibus, quod si quid horum contempserint, et horrendo Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi judicio rationem redditori sunt, et non ista cognoscentes non relinquemus quieti, et inulta. — § 1. Jubemus autem et provinciarum præsidēs si quid neglectum ex his quæ statuimus invenerint, primum quidem cogant metropolitans et alios episcopos dictas synodos congregare, et omnia implere quæcunque de synodis per præsentem legem jussimus; si vero eos morantes noverint et remissos, tunc nobis indicent, ut ad competentem protinus correctionem procedamus contra detrectantes synodos celebrare: scituris vero ipsis præsidibus et obedientibus ipsis officis, quod si quidem ista non servaverint, extremis subjiciantur suppliciis. Confirmamus autem et per præsentem legem omnia a nobis diversis legibus sancita de episcopis et presbyteris et cæteris clericis, ad hæc et xenodochis et orphanotrophis, et cæteris quicunque venerabilibus locis præsent.

EPILOGUS.

Quæ igitur nobis placuerunt, et per præsentem manifestata sunt legem, tua claritudo per prothema in consuetis locis regie civitatis affixa in cognitionem omnium perducere festinet, et manifesta facere omnibus qui provinciis præsent. — Dat. 10 kal. Mart. Constantinop., DN. JUST. P. P. AUG. BASIL. V. C. CONS.

3. d. N. 123, c. 10. — 48. Adde c. 5, infr. hic.
Tit. XXI. — 1. Adde N. 121. — 2. d. N. 121. — 3. L. ult. C. de divers. rescript.
Tit. XXII. — 1. N. 12, c. 1. — 2. Adde L. 27, § 3, D. de ritu nupt.; N. 154, c. 1. — 3. Fac.

TIT. XXI.

DE USURIS SUPRA DUPLUM NON COMPUTANDIS.

NOVELLA CONSTIT. CXXXVIII.

Imp. JUSTIN. P. P. AUG. HERMOGENI IMAGISTRO OFFICIORUM.

Manifestissima est nostri numinis constitutio quæ usque ad dupli quantitatem et actionem debiti concludit. Si igitur creditores tui quidam in duplum acceperunt, alii adhuc minus consecuti sunt: hi quidem qui in duplum ex usurarum quantitate per diversa tempora consecuti sunt, nullam adversus te inquietudinem proponere concedantur: alii autem si simili modo repleti fuerint, eo modo silere compelluntur. Et si debita subsecuti fuerint, fœneratitias cautiones recuperare, vel si remanserint, suis viribus vacare, si præces veræ sunt, præsentis oraculi sanctione discernimus.

TIT. XXII.

INDULGENTIA ILLICITE CONTRACTARUM NUPTIARUM.

NOVELLA CONSTIT. CXXXIX.

In nomine Domini Jesu Christi Dei nostri. Imp. Cæsar, Flavius, JUSTIN. AUGUST. FLORO.

PREFATIO.

Retulit ad nos gloria tua incolas Syndios pagi, neque non Hebræos in Tyro insula, illicitis contractis nuptiis, in sacram nostram incidisse constitutionem, nec secundum ea quæ de hoc constituta sunt, quartam bonorum suorum partem inferre: jamque ex iis nonnullis in tertia ætate consistere et filiorum patres esse, ac propterea cum lacrymis supplicasse, ne nunc tandem uxores a se dimittere compellantur: sed ut tam ipsas retineant: quam qui ex ipsis procreati sunt filii, aut procreabuntur, successores eorum existant, neque ullam exinde reverentur penam.

CAP. I.

Sancimus igitur ut pro hujusmodi indulgentia propter præfatas causas singuli denas auri libras præbeant, ipsique vel solis major illa pena remittatur, et tam uxores, quam qui exinde nati sunt, et (ut potest fieri) postea nascentur, successores habeant, neque id a nobis in exemplum aliis sancitum intelligatur: sed quocunque alio scituro, quod si quid tale petierit: ultra hoc quod petit non potietur, etiam facultates amittet atque insuper corporalibus penis exceptus, perpetuum incolet exilium. Nemo autem his qui a nobis nostra dignati sunt indulgentia, aut eorum uxoris existentibus vel futuris filiis, aut bonis, sive ex judiciaria sententia, sive alio quocunque modo inquietudinem inferat.

EPILOGUS.

Quæ igitur nobis placuerunt, et per hanc sacram nostram declarantur legem, quæ et vigorem habet specialis nostri indulti, ea studeto gloria tua effectui et fini tradere.

TIT. XXIII.

UT CONSENSU MATRIMONIUM SOLVI POSSIT.

NOVELLA CONSTIT. CXL.

PREFATIO.

Nihil in rebus mortalium perinde venerandum est, atque matrimonium: quippe ex quo liberi, omnisque deinceps sobolis series existat, quod regiones atque civitates frequentes reddat, unde denique optime reipublicæ cogmentatio fiat. Quocirca conjugibus matrimonia adeo fortunata optamus, ut nunquam adverso numine inita esse videri queant, neque illi citra justam dissolvendi matrimonii causam a se invicem recedant. Verum, quoniam ut in omnibus hoc servetur, perquam id difficile est, (ut enim in tanta multitudine non aliqua atroces irreconciliabilesque inimicitie incidant, prorsus impossibile est) par esse putavimus, ut hujus rei remedium aliquid commiseremur: præcipue vero, ubi pusillanimitas eo progressa sit, ut, quod odium inter conjuges abortum fuerit, mitigari et componi nequeat. Pro veteri sane juris ratione fas atque licitum fuit, ut istiusmodi a se invicem recederent, dummodo id

L. 1, in fin. D. de const. princip.
Tit. XXIII. — 1. L. 60, L. 61, L. 62, D. de donat. inter vir. et uxor.; L. 9, C. de repud.; N. 22, c. 4; abrog. N. 117, c. 10.

CAP. I.

communi voluntate atque consensu facerent. Adeo vero, ut multæ leges essent, quæ hæc de re et agerent et constituerent: tum etiam talem matrimonii dissolutionem bona gratia fieri patria lingua dicerent. At postmodum a patre nostro sacratissimo principe, (qui pietate atque sapientia omnes quotquot unquam imperarunt, superavit) dum ad benignum suum atque firmum propositum respiceret, nec non ad aliorum etiam miserum et pusillanime consilium oculos converteret, scripta lex est, quæ consensu matrimonia solvi vetat. Quam sane nos etiam obtinere, atque in suo vigore manere magnopere velimus. Verum permulti nos adierunt, qui matrimonium quo inter se nexi essent, mutuo odissent atque aversarentur, et (id quod dolendum valde, ac aliqui molestia mororeque plenum est) propterea belligeratum domi pugnatumque esse per criminationem exponerent, ideoque matrimonium solvi peterent, tametsi causas, ob quas tuto id illis facere lex concederet, nullas afferre possent: nos vero alias monendo, alias minis terrendo, ut a mutuo inter se, eoque citra causam suscepto odio desisterent, et ad concordiam proclinerent, animisque inter se pacatis essent, illorum in his desiderium proclinationem, animisque inter se pacatis essent. Sed nihil profecimus. *Eos siquidem qui violento affectu odioque semel correpti fuerint, perquam est difficile reconciliare.* Contigit enim ut ex his nonnulli ad mutuas insidias procederent, venenisque, et aliis quibusdam quæ lethalia essent, uterentur in tantum, ut sæpe neque liberi, qui ipsis communiter nati essent, illos in unam eandemque voluntatem conjungere poterint.

CAP. I.

Quum itaque hæc a nostris temporibus aliena judicarem, ad præsentem sacram legem respeximus, per quam statuimus, ut prout olim juris fuit, matrimoniorum solutiones ex consensu fieri liceat, et ne amplius patris nostri sanctione in eos qui consensu matrimonia dirimunt, constituta pœnæ in usu sint. Si namque mutua affectio matrimonia conficit, merito diversa voluntas eadem per consensum dirimit, modo hanc missi repudii libelli satis declarent. Cæterum illud manifestum sit, quod alia omnia quæ legibus, et præcipue sacris nostris patris nostri constitutionibus de matrimoniis liberis, et causis per quas dirimere matrimonium permissum est, aut de iis etiam qui nulla de causa (non tamen ex communi voluntate, et consensu, quomodo præsens nostra lex constituit) matrimonium solvunt, et de constitutis in illos pœnis cauta sunt, ex præsentibus etiam nostra lege obtinebunt, suamque per omnia vim habebunt.

EPILOGUS.

Proinde quæ a nobis in publicum usum producta sunt, et per præsentem sacram declarantur legem, gloria tua consueto modo per regiam hanc urbem omnibus manifesta reddi jubeto. — Dat. 17 kal. octobr. Constantinop., imp. DN. JUST. P. P. AUG. ANNO 1.

TIT. XXIV.

EDICTUM DE HIS QUI LUXURIANTUR CONTRA NATURAM.

NOVELLA CONSTIT. CXLI.

Imp. JUSTIN. AUG. CONSTANTINOPOLITANIS.

PREFATIO.

Cum semper omnes benignitate, ac bonitate Dei indigeamus: tum vero, maxime hoc tempore, cum propter peccatorum nostrorum multitudinem variis ipsum modis ad iracundiam provocavimus. Et quanquam minitatus est, et clare ostendit, quibus secundum peccata nostra digni essemus: tamen clementer nobiscum egit, iramque suam in aliud tempus recessit, tamen expectans penitentiam ut qui nolit mortem nostram peccatorum, sed conversionem et vitam. Quapropter justum non fuerit, ut omnino nos opulentiam bonitatis, ac tolerantie, et longanimitatis benigni Dei contemnamus, ne in obduratum et penitentiam refugiens cor nostrum, iram nobis in die iræ accumulemus, sed cum omnes improbis studiis, et actionibus abstinemus, tum vero maxime, qui abominabilia illa, et merito Deo exosa atque impia actione computruerunt. Loquimur autem de stupro masculorum, quod nulli mares sacrilego et impio ausu præsumunt, cum masculis perperantes turpitudinem.

2. d. N. 22, c. 4. — 3. d. N. 117, c. 10. — 4. L. 55, D. de reg. jur. — 5. Immo vide L. 8, C. de repudiis.
Tit. XXIV. — 1. N. 77, § 4, Inst. de publ. judic.; L. 51, C. ad leg. Jul. de adulter. — 2. d. N. 77, in pr. — 3. d. N. 77, c. 1, in pr. — 4. d. § 4, Inst. de publ. jud.; d. L. 51, C. ad leg.

Scimus etenim sacris Scripturis edocti, quam justum Deus supplicia his, qui olim in Sodomis habitabant, propter hunc ipsum in commistione furorem intulerit, ut in hunc usque diem ea terra igni conflaret inextinguibili: Deo per hoc nos erudiente, ut legibus contrariam hanc actionem aversemur. Rursum scimus, qualia de hujusmodi divus dicit apostolus, qualiaque reipublicæ nostræ leges promulgent. Unde omnes, qui timori Dei intenti sunt, convenit, ut a tam impia et scelestâ actione abstineant, quam ne in brutis quidem animantibus admissam reperire est. Et qui quidem nihil tale sibi conscii sunt, hi et in posterum eo se pacto conservent. Qui vero hoc morbi genere contabuerunt: illi non solum de cætero peccare desinant, sed etiam rite agant penitentiam, et coram Deo procidant, et morbum beatissimo patriarchæ renuntiant, rationemque curationis percipiant, et (prout scriptum est) fructus producant penitentiae, ut benignus Deus pro opulenta miserationum suarum dignetur nos quoque benignitate: et omnes illi agamus gratias de penitentium salute, quos modo jussimus, ut etiam magistratus persequerentur, concilians sibi Deum, qui merito nobis irascitur. Et quidem scientes prudentesque ad sanctorum dierum reverentiam benignum Deum obsecramus, ut ita hi, qui impia hujus actionis cæno coinquinati sunt, penitentiam capessant, ne alia nobis persequendi ejus flagitii præbeat occasio. Prædicimus autem omnibus deinceps, qui hujusmodi alicujus sibi peccati conscii sunt, nisi peccare desierint: et seipsos renunciantes beatissimo patriarchæ, salutis suæ curam gesserint, pro tam impia actionibus Deum intra sanctum festum placantes: quod acerbiora sibi accerentur supplicia, nimirum qui nulla de cætero venia digni habebuntur. Neque enim de ejus rei inquisitione ac correctione quidquam relaxabitur, negligentius tractabitur contra eos, qui intra sanctum festum se non detulerint, aut in tam impia actione perstiterint: ne si omisso circa id animo simus, Deum contra nos iritemus: quod cæcipientibus oculis transmiserimus actionem tam impiam, ac prohibitam, et quæ maxime idonea sit, ut bonum illum Deum in omnium perniciem ad iram provocet. Proponatur Constantinopolitanis civibus nostris. — Dat. id. Martii Constantinop., DN. JUSTIN. P. P. AUG. ANNO 32, post BASIL. V. C. CONSULAT. ANNO 18.

TIT. XXV.

DE HIS, QUI EUNUCHOS FACIUNT.

NOVELLA CONSTIT. CXLII.

Imp. JUST. AUG. MARTHANÆ.

PREFATIO.

Supplicia, quæ ab aliquot retro principibus contra eos, qui eunuchos facere audent, constituta sunt, omnia sane manifesta existunt. Ex quo enim nonnulli rationem salutis suæ non habentes, ante parvum admodum tempus ausi sunt tam impium in se delictum admittere: propterea et nonnulli meritas de se dederunt penas, alii post irrogata supplicia etiam in exilium missi sunt. Verum enimvero quia ne sic quidem a tam impia actione temperatur, sed in tantam multitudinem hoc flagitii genus excurrit, ut sæpenumero e multis vix pauci evadant incolomes, usque adeo, ut quidam ex his, qui servati fuerunt, sub nostro aspectu deposuerint e nonaginta ægre tres servatos esse, quis obsecro in tantum salutis suæ contemptor existit, ut hæc despiciat, et inulta relinquat? Nam si leges nostræ eos etiam, qui gladium contra aliquem disstringunt, supplicis subdunt, quomodo impune conniventibus præterire oculis possimus tot perpetratas cædes, et factum contra Deum pariter, et leges nostras præsumptum? Inde adeo necessarium duximus eos, qui hujusmodi facere ausint, exquisitis per hanc legem persequi.

CAP. I.

Sancimus igitur, ut qui in quocunque reipublicæ nostræ loco, quamcunque personam castrare præsumunt, aut etiam præsumperint, si quidem viri sint, qui hoc facere præsumperint, aut etiam præsumunt: idem hoc, quod aliis fecerunt, et ipsi patiantur: et si incolomes evaserint, tam bona eorum addicantur fisco per eum qui pro tempore magistratum obit gloriæ tuæ: quam ipsi mittantur in Gypsum, ubi locorum per omne vitæ suæ tempus esse debebunt. Sin vero mulieres sint, quæ id egerint, afficiantur et ipsæ supplicio, et bona earum per eum qui pro tempore gerit magistratum tuum, addicantur fisco, mittantur

Jul. de adult.
Tit. XXV. — 1. Lib. 4, C. 42; N. Leon. 60. — 2. L. 3, § 4; L. 4, § 2; L. 5, L. 6, D. ad leg. Corn. de sicariis. — 3. Abrog. d. N. Leon. 60. — 4. N. 22, c. 8.

turque in exilium : ut ex quo putaverint, aut putant impium se lucrum assecuturas, ex eo supplicia simul et bonorum suorum amissionem sustineant. Porro et eos qui ad hoc mandatum 5 dederint obtulerintve personas, aut etiam domos 6, vel locum aliquem ad hoc præbuerint, aut præbent, sive viri sint, sive mulieres, eadem subire supplicia iubemus, utpote qui injustæ hujus actionis testes facti sunt.

Cap. II.

Verum ipsos castratos tametsi a vetustioribus temporibus liberos esse oportebat; jubemus tamen, ut qui jam inde a decima indictione nunc ineantis mensis per quemcumque in locis nostris reipublicæ castrati fuerint, liberi sint, neque ullo modo aut quovis genere contractus in servitutum retrahantur: neque item instrumentum de ipsis vel publicum, vel privata manu conscriptum quocunque tandem modo aut per fraudem factum aut fiendum valeat. Sed neque inquirendi illorum status causa cognitiones, quæ anacrises 7 dicuntur, de istiusmodi personis interponantur, aut interpositæ valeant. Sed et omnes eos qui tali contractui in posterum ministerium præbent, superius traditas subire penas jubemus. Præterea si usuveniat, ut servus propter morbum castratur: jubemus, ut et ille libertatem nanciscatur. Qui enim initio liberi erant, eos probabile est, cum in hoc genus morbi inciderint, sui potestatem habuisse, ut quod vellent, sibi remedium adhiberent. Jubemus igitur, ut in nostra reipublica castrati jam inde a memorato tempore apud quamcumque personam sint, liberali causa adserantur manu, et liberi sint, neque unquam in servitutum retrahantur. Cæterum si qui eorum post præsentem nostram legem aliquos detinere apud se castratos præsumserint: damus etiam ipsis castratis licentiam, nimirum qui semel ex præsentem nostram lege libertatem promeruerint: ut hic quidem majestatem imperatoriam, et sanctissimum pro tempore patriarcham adeant, neque non apud gloriosissimos imperii nostri proceres relationem ea de re instituant, in provinciis vero apud religiosissimos locorum episcopos et harum præsidēs: quo magis providentia omnium nostrarum magistratum, et periculo obtemperantium ipsis cohortium (sive Constantinopoli, sive alibicunque locorum nostræ reipublicæ) his secundum libertatem dentur vindiciæ, libertasque ex præsentem nostram lege ipsis largita conservetur. Nam tot cædes conniventibus oculis accipere per causam eorum, qui talia in nostra præsumptæ reipublica nequiquam sustinuerimus. Si enim Barbari, simulatque nostra de hoc audierint mandata, hæc custodierunt: quomodo tandem permittemus, ut post tot retro principum sanctiones tale quid denuo delinquatur, et inultum relinquatur in nostra reipublica?

EPILOGUS.

Quæ igitur nobis placuerunt, et per hanc sacram generalem declarantur legem, ea tam hic, quam in provinciis gloria tua manifesta pariter faciet et conservabit.—Dat. 18 kal. decembr. Domino Just. P. P. Aug. Basi. V. C. Cons.

TIT. XXVI.

DE MULIERE RAPTUM PASSA.

NOVELLA CONSTIT. CXLIII.

Imperator JUSTINIANUS AUGUSTUS Arcobindo gloriosissimo prætoriorum præfecto, exprefecto almæ urbis, et exmagistro militum.

PREFATIO.

Legis interpretationem 2 culmini tantum principali competere, nemini venit in dubium: cum promulganda quoque legis auctoritatem fortunæ sibi vindicet eminentia. Meminimus itaque pro raptu mulierum, sive jam desponsatæ fuerint, vel maritis conjunctæ, sive non, vel etiamsi viduæ sint, legem antea posse: et capitis 3 subiecisse supplicio non tantum raptores, verum etiam comites eorum: nec non alios, qui eis auxilium tempore invasionis contulisse noscuntur: et non tantum parentibus mulierum, verum etiam consanguineis, et tutoribus et curatoribus hujusmodi dedisse per eandem legem vindictam et præscriptis penis locum dedisse, si jam nuptæ vel desponsatæ mulieres rapiantur: cum non solum raptus mulieris, verum etiam adulterium pro hujusmodi temeritate committitur. Et super alias penas raptoris etiam, necnon aliorum qui cum eo fuerint, patrimonium raptæ mulieri vindicari, per eandem legem præcipimus, ut dotis etiam marito legitime danda copia per raptoris ei ministretur substantiam. Illo quoque specialiter adjecto: ut nulla

5. Fac. L. 15. D. ad leg. Corn. de sicariis: L. 24. D. de iure fisci.— 6. L. 1. C. de cunctis: fac. L. 8. l. 9. D. de leg. Jul. de adul. N. 14. § 1. N. 42. c. ult. § 2. N. 58.— 7. L. 6. circa fin. D. de custod. et exhib. reor.

TIT. XXVI.— 1. N. 15. l. un. C. de raptu: N. Leon. 35.— 2. L. 1. C. de legib.—

sit mulieri vel virgini raptæ licentia, raptoris eligere matrimonium, sed cui parentes voluerint (excepto raptore) legitimo matrimonio copulari: nullo modo, nullo tempore licentia mulieri raptæ permissa, raptoris se conjungere matrimonio. Sed parentes etiam, si tali consenserint matrimonio, deportari præcipimus. Sed mirati sumus, quod conati sunt aliqui dicere raptam mulierem sive volentem sive nolentem, et si raptoris matrimonium contra nostræ constitutionis tenorem amplexa sit, debere tamen eam raptoris habere substantiam, vel quasi legis præmium, vel ex testamento forte, si hoc etiam factum esse contigerit. Qui enim talia dicere præsumperunt, hi prædictæ legis seriem intelligere non poterunt. Qui enim tale stare matrimonium, et si raptam voluerit, prohibemus, et ob hoc parentes raptæ mulieris deportationis subjecimus penæ, si hujusmodi consenserint matrimonio: quomodo 4 raptas mulieres, raptorum eligentes connubium, præmiis honorassimus raptæ datis mulieri? Superfluum igitur eorum dubitationem vel in posterum rescentes, priorem per præsentem legem interpretari censuimus. Sancimus itaque si raptam mulierem cuiuscunque sit conditionis vel ætatis, raptoris nuptias eligendas esse censuerit, parentibus præsertim non consentientibus: nec ex beneficio legis, nec ex testamento raptoris hereditatem suscipere, vel quocumque modo substantiam vindicare: sed præmium, quod per legem nostram raptæ mulieri datum est, ut raptoris, et eorum qui ei auxilium tempore invasionis præbuerint, bona 5 vindicet: hoc ad parentes, si ambo vel unus supersit, qui nuptias specialiter non probantur consensisse, ex tempore raptus ipso jure transferri, et patrimonium raptoris non raptam jam habere mulierem, quæ conjugio se raptoris inquinare non piguit, sed in personas transferri, quas superius nominavimus, ei non consentientes conjugio. Nam nefarios hujusmodi coitus penis corrigi, non 6 præmiis honorari convenit. Quod si parentes jam decesserunt, vel hujusmodi sceleri consenserunt: substantia raptoris, nec non et aliorum, qui facinoris fuerint participes, fisci iuribus vindicatur. Quam interpretationem non in futuris tantummodo casibus, verum in præteritis etiam valere sancimus, tanquam si nostra lex ab initio cum interpretatione tali a nobis promulgata fuisset, præfecte clarissime atque amatissime. — § 1. Quæ igitur per hanc legem nostram statuatur æternitas, tua celsitudo effectui mancipari, observarique præcipiat.

TIT. XXVII.

DE SAMARITANIS 4.

NOVELLA CONSTIT. CXLIV.

JUSTINUS IMPERATOR Diomedi P. P.

PREFATIO.

Ut impiam Samaritanorum hæresim, et omni ratione carentem horum vesaniam ad meliorem frugem perduceremus, neque non ipsorum animas, quo detinentur morbo, liberarem: sæpenuero tam pietissimus princeps pater noster, quam etiam nos ipsi studio habuimus. Sed in plerisque horum non potuimus id, in quod longo studio incubuimus, effectui tradere. Evaserunt enim in tantam nonnulli eorum vesaniam; ut vel salubri baptismo dignati denuo ad id mali, unde discesserant, redierint, et eadem cum Samaritanis habere in pretio, eodem cum ipsis agitati furore dignoscantur. Præclarum igitur nobis visum est veterem illam et prius contra ipsos propositam patris nostris legem renovare.

Cap. I.

Ac propterea sancimus, ut ipsi neque 2 ex testamenti tabulis, neque absque iis heredēs fiant legatave capiant, aut donationis titulo rem aliquam nanciscantur. Sed neque Samaritani, aut in universum heretici, quive rectam se christianorum fidem amplecti simulant, cum revera neque ita sentiant, neque huic consentanea faciant: ad hereditatem ab intestato vocati, successionem habeant. Item neque 3 testamenta conscribant, neque legata relinquunt, aut donent: nisi qui ea percepturi sunt, et recte de fide sentiant, et fideles sint operibus. Nam si nemo horum sit: jubemus, ut post ipsorum mortem horum bona ad sacratissimum perineant ærarium. Unde et sacra illa forma, per indulgentiam ipsis a patre nostro concessa, quæ legis vicem obtinens, largitur ipsis, ut 4 hereditatem pariter adire et transmitti, item legis honorari et legata relinquere possint: in posterum vacabit, neque prorsus ullam firmita-

5. d. l. un. § 2.— 4. L. 6. C. de incest. et inutil. nupt.— 5. d. l. un. § 1.— 6. Fac. L. ult. C. de statu.

TIT. XXVII.— 1. N. 129.— 2. L. 3. C. de apostasi.— 3. L. 17. C. de hereticis; ubiq. N. 129, c. 1.— 4. D. c. 2.

tem habeat. Nam si hujus se clementia indignos esse perhibuerint, qui Samaritanorum agitantur vesania: neminem alium, quam seipsos accusabunt, cum a benignitate Dei, et Servatoris nostrî Jesu Christi alieni sint: liberalitates autem ab imperatoria olim majestate ipsis concessas amittunt in hoc, ut ad meliorem mentem redeant, non ut perpetuo in perversa hac opinione sua permanent.

Cap. II.

Excipimus autem a præsentem lege rusticos, qui Samaritanorum opinionibus honorem habent: idque non ipsorum gratia, sed propter constitutionem prædiorum, quæ ab ipsis coluntur, propterque redditus et tributa, quæ exinde inferuntur publico, ut qui 2 rusticitate seducentur. His etenim permitimus, ut tam ascendentes, quam descendentes, et ex transverso cognatos suos heredes legatariosve scribant, tametsi Samaritanorum errore detineantur, ut tamen fundos recte colant, quo magis et uberior exinde proventus ad prædiorum dominos deferatur, et per ipsos ad fiscum. Sed et sine testamentis prædicti alter ad alterius hereditatem perveniant propter eandem causam. Quandocumque enim et si nemo horum inveniatur: nihilominus tamen volumus, ut prædii dominus, in quo rusticus defunctus est, ab illo relicta capiat, et fisci locum teneat, utpote qui et pro illo publicis 3 satisfaciat tributis. Præterea Samaritanorum omnino neque militiam 4 capere concedimus, neque ad civilem administrationem accedere, neque postulare 5 in iudicio, neque postremo in consortium disertissimorum assumi rhetorum, neque adolescentes instituere. Sed et si qui ex iis salutaris dignati baptismo, ad pristinum denuo errorem reversi, observare sabbata aut etiam alia quadam agere videantur, quæ coarguant per simulationem ipsos sanctum baptismum assumpsisse: eos proscribi jubemus, et in perpetuum tradi exilium. Iisdem quoque penis eos subdumus, qui contra rectam christianorum fidem impiis istis patrocinium præstiterint. Perpulchrum vero nobis videtur, ut ad incontaminatum accurrentes baptismum non temere suscipiantur, sed cum quadam observatione, et instructione, quæ initiationis tempore fieri solet. Dicimus autem, ut qui omnino sensu aliquo bonæ doctrinæ tangi possunt, per duos primos annos in fide instituantur, et pro viribus Scripturas ediscant: tuncque demum sacro redemptionis offerantur baptismati, tam longi temporis penitentia prorsus redemptionis fructum assecuti. Pueros autem admodum, qui per ætatem doctrinam intelligere nequeunt, etiam absque hac observatione sacro dignari baptismate admittimus. Porro nullus Samaritanus christianum 6 habeat mancipium: sed simulatque emptum fuerit, protinus in libertatem rapiatur. Quod si aique perversa opinio mancipium, ut ipse dominus, fuerit, licitum ei esto, si christianorum de fide sententiam excoluit, illico et romana ipsam libertate potiri.

EPILOGUS.

Quæ igitur nobis placuerunt, et per præsentem declarantur legem: ea proponens gloria tua solennibus locis effectui, et fini contradi præcipito.

TIT. XXVIII.

UT DE CÆTERO NULLAM LICENTIAM HABEAT DUX AUT BIOCOLYTA LYDIE ET LYCAONIE IN PHRYGIAM UTRAMQUE ET PISIDIAM ADVENIRE.

NOVELLA CONSTIT. CXLVI.

Idem Augustus Arcobindo gloriosissimo P. P.

PREFATIO.

His quæ semper incidunt, competentem singulis medicinam invenientes, postquam quæ utilitatis sunt præterierint, iterum prioris efficiuntur ordinis usque ad solum dolentem medicinam sustinentes; quod tale aliud præsens nostra sacra vult lex. Modice enim prius aliud quiddam indisciplinationes populares, aliud vero latronum incursum in Phrygiam atque Pisidiam fieri discentes, eo quod civilem gubernationem scindat rei sollicitudo, tam his quam Lycaoniae et Lydiae militarem administrationem præposuimus, ducem seu biocolyta nominantes eum qui super hanc ordinatus est partem, sed nunc adire nos, qui Phrygiam utramque et Pisidiam habitat, ut ea quæ pridem commissa sunt in eis, compescantur, dicentes neque latrocinia in locis illis compescita, neque enim in hominibus enutrirî provincias, bonus vero non ferri a nobis inventi cinguli,

5. Adde N. 124. c. 1.— 6. L. 4. C. de agric. et censit.— 7. N. 109.— 8. L. 5. C. de postal.— 9. L. 3. C. de Christianorum mancipium.

quod ministrantes ei continuo invadant provincias et comprehendant aliquos et damnis afficiant, et quod turbis militaribus impleta sint loca illa, et omnino inhabitabiles esse eis provincias, etenim et ipsi per se civilibus iudiciis copiosis ad rei correctionem constitutis, et eorum qui provincias habitant multos aliorum quietem inventum facientes quo cinguli hujus abutuntur παρηγορη et comprehendant innocentes, et quæ non sunt justa in eis agi.

Cap. I.

Hæc sæpius dicentes eos miseri ad præsentem nostram sacram veniam legem, per quam sancimus, auferri de cætero, quæ dictæ sunt a nobis provinciae (dicimus Phrygiam Salutarem et Phrygiam Pacatianam et Pisidiam) de cingulo illo quod tam ipsis quam Lycaonis, et Lydiae imposuimus olim, et nullam licentiam ex præsentem esse eis, qui eam habent administrationem; ita in eis fieri provinciis tanquam dignitates, habentes aliquo cum eis participium, aut transmitti aliquem de officio suo aut aliter eis competentibus, et comprehendere aliquos. Sed neque eis licentiam esse, eis, qui ex illis provinciis sunt, confugere ad unumquemque hanc habentem (dignitatem) et querelam insinuare adversus invicem, sive pro pecuniariis, sive pro criminalibus fuerit quod movetur, penam metuentibus triginta librarum auri, utpote nobis omnem transitum ad dictas nobis provincias excludentibus his, qui per tempus habuerint dignitatem, aut his omnino qui in eorum ordinem relati fuerint, ut neque præcepta in illis provinciis aut contra eos qui in eis habitant, faciunt, neque aliter sibi aliquid vindicabunt eorum quæ in his feruntur, sed contenti sint tam Lycaoniorum quam Lydorum (provincia) in ipsis jubentes solis, tanquam si in principio istis duabus provinciis conclusissemus dignitatem eorum, nullum participium in Phrygiam utramque aut Pisidiam dantes ei. Omni enim ex hoc difficultate provincias liberamus, illas civilium iudicium dignas in omnibus, tam pecuniariis quam criminalibus respicientium, scientibus his quod si quodlibet factum latrocinium aut invasionem in illis locis aut ablationem rerum persequantur, et ablatum vindicent, ex ipsis suis facultatibus ex hoc datum dispendium curare necessitatem habebunt, tam in cingulo constituti, quam etiam post depositum illud. Itaque si vel tentaverit post præsentem tempus qui Lycaoniae et Lydiae militarem habet dignitatem, aut ipse ire ad prædictas nobis provincias aut dirigere aliquos de suo officio, fiduciam damus provinciarum civitatum prohibere, eum aut eos qui ab eo destinati fuerint irruere volentes et expellere de locis eos, utpote semel per præsentem sacram prohibitos legem, super quod et penam xxx librarum auri impositam tam ei qui pro tempore habet cingulum, quam his qui ei obedire deputati sunt, sive tale aliquid jubeat, aut ipsi præsumserint ministrare: et super hoc cinguli amissionem periclitabunt et ipsius substantiæ.

EPILOGUS.

Tua igitur gloria quæ per præsentem nobis divinam legem sancita sunt, cognoscens, faciet quidem decreta consequentia ipsis, edictis vero utetur et præceptis ad eos qui provincias moderantur, et civitatum episcopos, ut et hanc per civitates proponant legem, et omnibus manifesta faciant quæ per eam nobis placuerunt occupationem. — [Datum 6 id. febr. Constantinop., DN. JUSTIN. P. P. Aug. anno 15, post consulatum Basi. V. C. Cons. anno 19.]

TIT. XXIX.

UT LICEAT HEBRÆIS SECUNDUM TRADITAM LEGEM SACRAS SCRIPTURAS LATINE VEL GRÆCÆ VEL ALIA LINGUA [LEGERE] ET, UT DE LOCIS SUIS EXPPELLANTUR NON CREDENTES JUDICIUM VEL RESURRECTIONEM 5 AUT DICENTES ANGELOS 4 SUBSISTERE CREATURAM DEI.

NOVELLA CONSTIT. CXLVII.

Idem Augustus Arcobindo P. P.

PREFATIO.

Necessarium quidem Hebræos sacros audientes libros non solis literis adhærere, sed ad reconditas eis prophetias respicere, per quas magnum Deum et Salvatorem generis humani Jesum Christum annuntiat. Sed etiam si insensatis semetipsis interpretationibus tradentes a recta usque nunc aberraverunt gloria, tamen certare ad invicem discentes ipsos, non

TIT. XXIX.— 1. Athrog. N. Leon. 55.— 2. c. 1, c. 3, infr. hic.— 3. c. 2, infr. hic.— 4. d. c. 2.